



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Infidelium matrimonium quare non sit Sacramentum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

inter Ethnicos (licet id non ita curantes) secum traheret tertium hoc matrimonij bonum, quod D. Augustinus, nimirum, priore modo, vocat *sacramentum*, & ut ipse exponit, in eo consistit, ut coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ut causa quidem prolis, alteri coniungatur. Huius enim tam insolubilis nodi causa est ipsum jus naturæ, accedente Dei ordinatione, commutandi corporis potestatem non aliter dantis, quam in perpetuum, juxta illa: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ: item Quod Deus coniunxit, homo non separet*: Et: *Qui dimiserit uxorem, mæchatur*. Hoc bonum æstimant, qui uxores habent bonas, & ipsi sunt boni; malum autem videtur ijs, qui mali ipsi in malas, immo & in bonas uxores inciderunt; mallent enim ab eis posse liberari; & si hoc esset, haud secus cum ijs agerent, quam cum equis, qui, si vitium alunt, si sunt calcitriones, si rodunt præsepe, si arbore quavis obuia territi resiliunt, si noctem ferunt in oculis, si scabie infecti contagium seminant, si sunt succulores, aut si ob aliam causam non placent, venduntur, vel permutantur, neque raro etiam traduntur canicidæ ad cultrum, ut vel de corio, lucrum pareretur, si aliter non prosint. Ad hunc modum, si perinde uxores malas, aut malos maritos liceret vendere, ô quàm, singulis mundinis, plenum esset forum eiusmodi mercibus; quæ utique vanales non prostituerentur, si isti tales bonum quoddam esse iudicarent, coniugij inseparabilitatem, & vinculum, quod Apostolus ipse nominat *corporis servitutem*; quæ cum sit mutua coniugum obligatio, qua corpus vnus alteri, vsq; ad mortem, obstrictum manet; reddit utique mali confortis tantò peiorem cohabitationem, quanto eam facit arctiorem ac diuturniorem. Hac servitute & malorum necessitate, non pauci sunt, qui putent coniugia contaminari, & contumeliam potius, quam boni alicuius famam noménque mereri.

Secundo modo apud multos, qui se vxoribus, aut maritis etiam optimis existimant esse felicitatos, coniugium non est *sacramentum*. Quod fit, quotiescunque coniugium vel vterque, vel alteruter non est *sacramenti*, (ut est signum efficax & practicum gratiæ, à Christo institutum) capax; nimirum quia caret

Baptismo

S. Aug. lib. 9.  
super Gen.  
c. 7. & l. de  
Nuptijs &  
concup. c. 11.  
& 17.  
Con. d. 26.  
num. 17. & 26.  
ex cap. fin. de  
condit. appo-  
sitis, & Trid.  
sess. 24.  
Gen. 2.  
Matth. 19.  
Luc. 16.

1. Cor. 7.

V.  
Bec. cap. 44.  
q. 4. num. 8.  
Laym. p. 2.  
c. 1. num. 1.  
Henriq. l. 11.  
cap. 24.



Baptismo ( qui est janua sacramentorum ) neque consensus ad sacramentum requisitus ibi esse solet. Quo pacto enim in sacramentum consentit, si vel alteruter, vel vterque sit Iudæus, si Turca, si Ethnicus, quorum apud Indos utrosque innumerabilis est multitudo? Quare licet Hispanus Catholicus sponsus Ethnicam ducat Peruanam, aut ex insulis Philippinis, haud tamen erit illud matrimonium censendum tale *sacramentum*, sponso præcisè contractum, sponso etiam *sacramentum*, quale Christus instituit, destinante. Quin et si duo Indi, aut alij infideles qui inter se matrimonium contraxerunt, eo jam contracto, postea Christo addicti baptismo tingantur, tamen non illico coniugium illud fit, hoc sensu, *sacramentum*. Est enim signum sitæ coniunctionis Christi cum Ecclesia; non est tamen illud signum efficax gratiæ prout à Christo est institutum, cuius reuerentia Christiani, adhuc meritò se magis ligatos arbitrantur. Atque hinc habent vtiq; Christiani, quod sibi gratulentur, quia Iudæorum, aliorumq; infidelium matrimonia, etsi naturâ sua, insolubilia sint, Christianorum tamen simul etiam sunt efficacia, efficereque possunt, vt insolubilitas hæc grata sit atque iucunda. Habent item causam cauendi, ne se in Iudæorum, aut Ethnicorum coniugia præcipitent. Habent item infideles causam, vt ad Ecclesiam Christi transeant. Nam baptizati de nouo contrahere possunt, vt è coniugio fiat practicum gratiæ signum *sacramentum*.

Sanct. l. 2.  
d. 9. n. 5.

## VI.

Qui in margine navis, inter fluctus, vehuntur, optant gaudereque esse ligati, ne excutiantur. Tale vinculum est matrimoniorum: ligat in securitatem, astringit in amorem: facit, vt quod tanquam bonum semel electum est, semper habeatur. At multis hoc malum videtur, & cuperent à malo liberari: Quid si cuperent contra suam vtilitatem? Quid si supremi Gubernatoris beneficam manum à se auerterent? Nam vel boni sunt coniuges, & inuicem amantes, & eapropter bonum est illis, status perpetuus, quia amantes nihil magis timent, quam separari; quod testantur lachrymæ atque luctus, quos in coniugum funeribus ostendunt: vel mali sunt, & hoc ipso merentur coniuncti manere, vt malum simul sit, atque mala vxor.

malum